Polyphemum Ulixes obcaecat

[…] Olim ad Cyclopum oras pervenit Ulixes cum sociis et animose cum paucis audacibus in speluncam Polyphemi intravit, filii Neptuni, cum donis placentibus hospiti: gerebat utrem vini generosi et epulas exquisitas. Sed Cyclops, mente impia, immemor hospitalitatis iurium, Ulixis socios in antro clausit, nonnullos etiam necavit et devoravit: Cyclopes enim omnia deorum hominumque iura contemnebant. Sed Laërtiades, Polyphemum singulari artificio decipiens, praebuit vinum et Cyclops magna cum voluptate bibit graviterque obdormivit. Tum Ulixes horribile monstrum oculo privavit et incolumis evasit e tristi spelunca cum sociis superstitibus.

Aeneas

Vergilius, clarus poeta Latinus, Aenean magnis laudibus celebravit ob miram pietatem erga deos et homines. Cum Graeci turpi dolo claram urbem Troiam expugnaverunt, Aeneas ex urbe profugit cum propinquis suis, gerens humeris senem patrem. Postea cum exiguo numero Teucrorum superstitum navem conscendit et longum ac difficile iter suscepit. Maria infida traiecit, gentium ignotarum et saepe hostilium terras tetigit, Iunonis insidias vitavit, magna pericula ingenti animi vi superavit. Tandem, post multos et graves labores, ad Latii litora pervenit, ubi regnabat prudens rex Latinus. Hic autem Aeneas rursus acre bellum gerere debuit cum Turno, feroci rege Rutulorum, Troiugenas finibus expellere cupiente, et post victoriam Laviniam, pulchram et mitem Latini filiam, uxorem duxit.